















1696.

1. Bodinus, Henricus, Prof. jur. . . . Decanus: Programmata inaugu-  
rale de fama, quae ad lectiones cursorias d. Henrici Ernesti  
Kertneri, . . . quas ad tit. ff. de his qui nob. infam. . . .  
habebit . . . inserta.

2<sup>a</sup>. Bodinus, Henricus: De jure inhumaniore. 2 Exempl.

3<sup>a</sup>. Bodinus, Henricus: De conditione fidei impleta. 2 Exempl.

4<sup>a</sup>. Bodinus, Henricus: De contractibus summarum potesta-  
tum. 2 Exempl.

5<sup>a</sup>. Bodinus, Henricus: De collatione succedentium liberu-  
rum. 2 Exempl. 1696. 1757.

6<sup>a</sup>. Bodinus, Henricus: Disputatio juridica inaug.,  
exhibens iudicium pactorum juris Romani et Simon-  
strandi nec hoste ex nudo pacto actionem competere.  
3 Exempl.



1696.

7<sup>ant.</sup>  
= Botinus, Henricus: Visputatis juridica inany, exhibitio  
errores communes circa matrimonialia. 2 Exempt. Rec.  
1698 et 1705.

8<sup>ant.</sup>  
= Botinus, Henricus: De obligatione forni juri viri  
2 Exempt. 1696 et 1711.

9. Bremeyser, Ems Rudolphus: De utilitate studii histo-  
rici ex jurisprudentia tam viri tam humana.

10<sup>ant.</sup>  
= Bremeyser, Ems Rudolphus: De similibus pactorum  
juri Romani divisionibus in foris Germaniae.  
3 Exempt. 1696 et 1724.

11<sup>ant.</sup>  
= Bremeyser, Ems Rudolphus: De praestatione executionis  
in cessione nominis, secundum principia juris  
naturalis et Romani. 2 Exempt. 1696.

12. Buddeus, Jo. Franciscus: Rationem status circa  
federalia... publice direct.



13. Cellarius, Christophorus. Flavii Josephi de Herodibus historia.

Rec. 1700.

14. Hoffmannus, Fridericus: De purgantibus specificis.

15<sup>a et</sup> = Kestnerus, Henricus Ernestus: De jure correspondentiarum

2 exempl.

16. Schneider, Joh. Friedmannus: Religio expers imperii

... ostenditur.

17. Simon, Joh. Georg: ... Facet. jurid. ... prolocutus: et

lectiones cursorias de eo, quod interest ductu p. 1. 18 ff.

Rat. Rem. Hab. ... et disputationem inang. de uno

pro omnibus, a Zacharia Heulanko ... habenda ...

ingrat.

18. Simon, Jo. Georg: De uno pro omnibus.

19. Simon, Joh. Georg: Facilem humanam et similitudinem

pulchritudinis caelestis figuratam occasione p. 17. si

quis p. de poenis ... publicae ... ventilatiōni ex-

ponit.



19<sup>a</sup> Stahl, Georgius Smetus: De antacraticis naturas  
sive spontanea morborum excussione et convalescen-  
tia.

8<sup>a</sup>

9.

10.

11

12



26 34 Pr. 12 n. 12<sup>a</sup> 1696 66  
C. D.  
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
*exhibens*

VINDICIAS PA-  
CTORUM JURIS  
ROMANI

Ad demonstrandum  
NEC HODIE EX NUDO PACTO  
ACTIONEM COMPETERE

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*

DN. FRIDERICO VVILHELMO,  
ELECTORAT. BRANDENB. HEREDE &c. &c.  
AUTORITATE ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICÆ  
P R Æ S I D E

DN. HENRICO BODINO,  
POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI  
CONSILIARIO ECCLESIASTICO IN DUCATU MAGDEBUR-  
GENSI GRAVISSIMO, PROFESSORE JURIS ORDINARIO CELEBER-  
RIMO ET FACULT. JURIDICÆ p. t. DECANO.  
PATRONO ac PROMOTORE SUO ÆSTUMATISSIMO

PRO LICENTIA

Summos in Jure honores & Privilegia consequendi

*Ad D. Julii Anno MDC. XCVI.*

IN AUDITORIO MAJORI

Eruditorum censuræ submittit

GEORGIUS FRIDERICUS Wagell/

Efslinga Suevus.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI. Acad. Typogr.





IN CLYTÆ  
CIVITATIS ESSLINGENSIS

*Magnificis & Excellentissimis*  
DNN. CONSULIBUS,

*Prænobilissimis atque Excellentissimis*  
DNN. PRÆFECTIS,  
Tum munere suo defuncto, quam illo

adhuc Fungenti,

*Præ-nobilissimis ac Consultissimis*  
DNN. SYNDICIS,  
*Prænobilissimis, Amplissimis & Pru-*  
*dentissimis*

DNN. SENATORIBUS,

Ut &

*Spectatissimis Civibus*  
PATRIBUS PATRIÆ OPTIMIS  
*Dominis, Patronis atque Fautoribus suis, obser-*  
*vantia, & honore prosequendis*

Salutem plurimam !





**N** conspectum **VE-**  
**STRUM MÆCENATES**  
**SUMMI**, specimen hoc  
produco; Mole qui-  
dem exiguum, sed ob-  
servantia mea maxi-  
mum. Certissima e-  
nim hujus debuit tessera: licet Scholæ in-  
dustriam redoleat; nominibus tamen **VE-**  
**STRIS** non judicavi planè indignum, cum  
illius **VOS** etiam trahat voluptas. Adeò,  
ut curæ, quas Reipublicæ noctu diuque  
destinatis, eam ferè svadeant. Literis ca-  
rere bonis nescit Civitas, æquè ac armis.  
Tantum igitur abest, ut earum cultores  
**VOBIS** sorderent, quorum interest valdè  
illos ad usum transferre publicum; ut po-  
tius vel hoc nomine apprimè sitis celebres.  
Simili mente **VOS**, **PROMOTORES HO-**  
**NORATISSIMI**, erga singulos esse multo-  
rum constat prosperitate. Ut igitur hu-  
jus



jus memorem me deprehendant, quales-  
cunque legum primitias, in variis Acade-  
miis collectas, offero submissè. Atque  
mea, quam meremini, veneratione rogo,  
ut benigniori cultu hos studiorum fructus  
aspiciatis, donec uberiores carpere mihi li-  
cuerit. Tunc etiam ampliora Cultus mei,  
quem VOBIS unicè dicavi, certissimè ex-  
tabunt. Insuper non exiguam ejus par-  
tem me illo tempore autumo præstare, quo  
DEUM invoco ardentissimè pro incolumi-  
tate VESTRA, ut hanc diu VOBIS conser-  
vet, & consilia VESTRA felicissimo beet  
successu. Ita Civitati nostræ nec in bello,  
nec in pace auxilia deficient paratissima.

*Magnificorum, Excellentissimorum,  
Consultissimorum, Amplissimorum  
& Spectatissimorum Nominum  
Vestrorum*

addictissimus,  
cultor  
GEORG. FRIEDRICUS Nagel.





TH. I.

**I**nter admirandas perfectiones, quibus Omnipotens ac benignus universæ Naturæ Creator, supremum & ad suam imaginem conditum naturæ opus, hominem sc. ornare voluit, non ultimo loco ponendum, quod non solum corpori ex luto formato mentem immediate inspiraverit, ac per hoc ipsi aliquid divini comunicaverit, ut admiranda Dei opera ac voluntatem sanctissimam cognoscere, ac creaturis quibuscunque juxta suum naturalem ordinem & voluntatem creatoris imperare, iisque recte uti possit, sed & corpori talia organa dederit, quibus imperium mentis exequi, simul & voluntatem exprimere possit; ficuri autem mens circa sublimius sanctiusque objectum in integritate actionum operari non potest, quam circa cognitionem perfectissimi sui creatoris, conformationemque ejus voluntatis, & inde exoritur gaudium, tale quidem quod in nostro corrupto statu nobis incomprehensibile est, ita organa corporis, directioni mentis subjecta, non nisi ad gloriam creatoris, & ad executionem ejus voluntatis merito adhiberi debent. Præcipue autem dum inter omnia animalia soli homini data sint instrumenta & facultas articularis vocibus desideria exprimendi, indubitatum erit, sermone, ex Dei voluntate & naturæ ordine,

*Ad quid homo creatus.*

*Usus loquacis.*



*Tam resp. Dei* aliter utendum non esse, quam ad mentem in suo officio versantem extrinsecus demonstrandam, quod respectu Dei in Magnificatione operum ejus, laude ac devota gratiarum actione, simulque intensissima sui comendatione & confidentibus precibus quasi filiali colloquio; respectu proximi, in amica communicatione rerum ad transigendam vitam, meique & proximi vel necessitatem vel jucundam tranquillitatem pertinentium; respectu cæterarum creaturarum in imperio à Creatore concessio consistit: Et sic fermocinandi facultas à Deo & natura in alium finem non est concessa, quam ad exprimenda voluntati Divinæ convenientia animi sensa. vid. de usu Sermonis Dn. Puffend. *de off. hom. & civ. l. 1. c. 10.*

*Quam resp. hominum in vicem.*

*Ut & resp. creaturarum aliarum.*

TH. II.

*Distinctio sermonum.* Circa illa vero quæ in sociali vita cum alio verbis communicanda sunt, quædam solum eo tendunt, ut in sermonis sono ejusque intellectu inter colloquentes omnia absolvantur, quorsum urbanitatis, veracitatis ac modestiæ officia pertinent, quædam vero illius ad quem verba diriguntur, assensum, ad futurum aliquod faciendum vel omittendum postulant; Cum autem ille ad quem sermo ita dirigitur, pro libera facultate de se & rebus suis disponendi, citra præcedens vel naturæ vinculum, vel superioris imperium, alterius voluntatem ad implere obstrictus non sit, nisi quatenus hoc in Dei gloriam, sui que conservationem vel utilitatem facere, mente constituit, ac externis signis expressit; ex eo quod Deus ut pote omnia sibi manifesta habens, sola mente contentus, nos

*Potestas hominis circa bona sua factaque.*



nos aliis, præter naturæ ordinem devinctos non fecit, nisi quatenus organa ad hoc concessis, legislativa quasi autoritate super rebus ac factis nostris hoc publicatum fuerit, sic enim Dei quasi autoritate, homo in rebus factisque potestati suæ subjectis, sibi ipsi legem scribere potest, quæ post factam per externa signa publicationem, ipsum sub summi Creatoris imperio, proximo obligatum facit.

Th. III.

Unde facile colligitur, hominem homini ad aliquid præstandum faciendumve, absolute obligatum non esse, ita sc. ut ad adimplendum cogi aut compelli possit, nisi quatenus vel ex expressa aut tacita divina voluntate, id est lege positiva Divina vel ordine naturæ obstrictus est, quorsum obligationes erga Deum, item inter parentes & liberos, conjuges, &c. referendæ; vel quatenus in libertate se obligandi nec ne antea constitutus, jus in res factaque potestati suæ subjectas, alteri concedere mente destinavit, illudque per verba aliave organa ad hoc ipsi concessa in alterum transfudit; Cum itaque in hisce nemo præter, nedum contra intentionem aut mentem suam obligari possit, in rebus autem humanis sæpius accidat, ut quis primo modum, rem vel factum transferendi, cum altero paciscatur, antequam invicem præcise sese obligatos velint, ut interim quisque eo melius ad obligationem contrahendâ sese præparare possit, sequitur quod tales pactiones, seu in idem placitum interveniens consensus sine ultro citroque obligandi intentione, jus efficax & actionem inde orientem non producant; Hinc

*Fundamentum obligationis erga alterum.*

*Obligationes naturales & necessarie.*

*Pacti natura.*

*Differentia pacti, & obligationis efficacis.*



*Quid jure  
Romano  
nuda pactio.*

*Causa cur  
materia de  
pactis tam  
intricata  
sit.*

*Summa Dis-  
putationis.*

prudentissimi Romani Legislatores, tam solícite pactiones, à vi obligandi adhuc nudas, à contractibus aliisve obligationibus efficacibus distinxerunt; Et quia verba non nisi signa mentis sunt, hæc autem sæpius dubia obscuraque reperiantur, quæ tamen meritò non aliter quam secundum intentionem proferentis, ad illum obligandum nec ne, explicanda sunt, pro investiganda hac intentione, variæ accesserunt legum determinationes, quæ uti circa materiam subtilem & ferè abstrusissimam, multisque difficultatibus scatenentem versantes, multorum Doctorum ingeniis, partim absurdæ & inutiles, partim iniquæ & rejiciendæ visæ sunt, undè tanta circa hanc Materiam Doctorum confusio, ut sensum qui rem exprimat, quomodo scilicet realiter differant nudæ pactiones à contractibus &c. vel planè non habeant, vel tam inique torqueant, ut incauto discipulo persvadeant, ingeniosissimos, ac in determinando eo quod cuique debetur per tot secula maxime solícitos Romanos, circa prima principia alterum obligandi, vel tantam iniquitatem introduxuisse, quæ uti cum rectæ socialitatis principiis pugnans, certissimam Reipublicæ perniciem, fraudes & dolos introduceret, vel ita cœcutisse, ut omnis circa hanc materiam ut & alias, sapientia intellectusve, ad nostra tempora reservata videatur; Quod cum utrumque suspicione non careat, loco disputationis inauguralis, pro modulo temporis & ingenii, delineare constitui, pactiorum naturam & effectum, imò verum sensum Juris Romani investigando, & 2do illum cum æquitate naturali comparando; ad



ad demonstrandum quod ex nudis pactionibus nec hodie efficax actio dari possit aut debeat: quod benevolens, à præconcep̄ta opinione satis liberato, nec sibi solum placentis, aut aliorum auctoritates sequentis iudicio, submitto.

TH. IV.

Pactum sæpius in Jure Romanorum nomen *Pactum generale est; cum enim vox conventionis adeò generalis sit, ut nullum esse contractum, nullam esse obligationem, quæ non habeat in se conventionem Ulpianus asserat, cum & stipulatio nisi habeat consensum, nulla sit. l. 1. §. 3. ff. de pact. & statim conventio adfit, quam primum partes in unam sententiam decurrunt, so bald sie einerley Meynung seynd d. l. 1. §. 3. ubi propter consensum conventio tam generalis prædicatur; Quoque nullum dubium est, quin etiam pactum, quod per consensum in idem placitum definitur, imo ipsa conventio appellatur l. 1. §. 2. ff. de pact. l. 3. pr. ff. de pollicit. sit nomen generale, alias pactum sumi non posset pro consensu l. f. C. quand. lic. ab emt. disced. neque pro pacto convento. l. 27. ff. de Reg. Jur. l. 72. ff. de contrab. emt. l. 21. l. 27. §. 2. vers. idem dicemus & vers. prec. Sed si pactum ff. de pact. l. 5. Cod. eod. nec pro pollicitatione l. 5. C. de contrahend. & comm. stipul. nec pro pacto nudo l. 28. C. de pact. nec pro ipsa conventionem l. 6. l. 33. l. 27. §. 2. pr. ff. de pact. l. 7. l. 9. 29. C. eod. l. 1. ff. de rescind. vend. l. 15. C. Famil. ercisc. add. Mayeri Collegium Argent. ad h. t. §. 2. ubi adhuc plures significatione addit. Cum igitur præprimis pactum & conventio per modo citatas leges promiscue usurpentur, hinc Dn. Vinnius*

B

nus



nus *tract. de pact. cap. 1. §. 3. & 4.* rectè dicit; pactum generali significatione non minus latè patere, quam nomen conventionis, & contractus quoque omnes continere, quamvis plus sit in contractu, quam in pacto generaliter sumto, semper enim actu plus est in genere, quippe genus non est particeps differentiarum, de quo prolixius *vid. Dom. Vinn. cit. loc. ubi §. 5. 6. & 7.* suam sententiam inter alia probat *ex l. 8. & l. 15.*

*Et sub se. ff. de præscript. verb. quibus addi potest l. 7. C. de pact. & l. 1. C. de pact. convent. tam sup. dot. & c.* Ubi inter pactum nudum & non nudum distinguitur, quæ distinctio satis indicat, pactum esse nomen generale, addit quoque *Dom. Vinn. pro fundamento suæ opinionis l. 6. C. de Jur. dot. ubi ex pacto actio præscriptis verbis datur, quæ tantum ex contractu datur vid. l. 15. ff. d. præscript. verb.*

*Et quidem conventio illa non est nuda, ut quis dicat ex pacto actionem non oriri, sed habet in se negotium aliquod, ergo civilis actio oriri, potest id est præscriptis verbis.*

### Th. V.

Confirmat quoq; hanc opinionem *l. 29. ff. h. t. l. 1. C. de Jur. Emph. l. 20. C. de pact. §. ult. Inst. de Serv. rust. & urb. præd.* Imo hæc opinio planè fundata est in *l. 20. c. d. Pact. & in l. 27. §. 2. vers. idem dicemus ff. h. t.* ubi dicitur de pacto quod totam obligationem sustulit & ad novum contractum profecit, paulo post enim probabimus, ex pacto nudo nec obligationem ipso jure tolli, nec novum contractum fieri posse. Nec facit contra hanc legem, quod in illa non simpliciter dicatur pactum, sed pactum conventum,posito enim, quod in dicta lege pacti non simpliciter fieret mentio, quod ramen etiam



etiam fit, ex jam dictis constat, quod in Jure Romano pactum & pactum conventum, sæpius sine distinctione adhibeantur. Interim etiam Domino Salmasio concedere possumus, aliquando per pacta conventa intelligi instrumenta, hoc enim innuere videtur *l. 15. ff. de transact.* quod autem hoc perpetuum non sit, rectè probatur *ex l. 4. ff. de pignor.* Etiam pactum aliquando sumitur pro instrumento *l. 7. §. 7. vers. utrum autem in rem & §. 12. ibique Gothofr. & l. 10. §. 1. ff. de pact.* Sed nec hoc perpetuum est, uti patet *ex l. 17. C. cod.* Et hoc certè magis confirmat variam significationem vocis pacti, nec ex hac opinione Salmasii medius terminus desumi potest, qui concluderet, vocem pacti in jure nostro non genericè usurpari.

*Quid pacta  
conventa  
denotent.*

TH. VI.

Audiendi igitur non sunt, qui pactionis nomen *in Pactio & pactum* *latius* patere, quam pacti, dicunt, superioremque definitionem pactionis esse, non pacti, ob idque pactionem sub se comprehendere contractum, cum nusquam pacti appellatione contractus significetur; Eadem enim pactio & pactum sunt, & pro iisdem a quod Jurisconsultos ponuntur, *vid. l. 7. §. 4. & seqq. l. 27. §. 3. ff. de pact. l. 1. C. de jure Emph. l. 4. C. de transact. l. 1. ff. de rescind. vend. l. fin. C. de pactis l. 5. C. quæ res pign. oblig. poss. §. 3. Inst. de except.* quod & constat ex definitione pactionis & pacti *in l. 1. §. 2. ff. de pact. & l. 3. ff. de pollicitat.* Et si inter pactum & pactionem aliqua differentia intercederet, nulla tamen alia esset quam inter causam & effectum. *Coll. Argent. ad b. t. §. 3.*



quod tamen in Jure non observatur, sed vox pact  
etiam ipsum actum denotat Bachov. ad Treut. *Vol. 1.*  
*Disp. 6. tb. 1. Lit. A.*

TH. VII.

*Quid sit  
pactum.*

Pactum igitur seu pactionem in generali sua signi-  
ficatione, non in speciali, uti Domin. Struv. *Exerc. civ.*  
*6. apb. 6. & alii volunt* vel definire possumus cum Ci-  
cerone; Pactum est, quod inter aliquos convenit,  
quod jam justum putetur. *Cic. 2. de invent. vel cum*  
*Cujacio in parat. D. & C. per l. 27. C. de Locato & l. 15. C.*  
*Famil. Ercisc.* quod pactum sit conventio nudo placiti  
fine consistens; vel *ex l. 1. §. 2. ff. h. t.* quod sit duorum,  
pluriumve in idem placitum & consensus, vel *ex l. 3. pr.*  
*ff. de pollicitat.* quod sit duorum consensus atque con-  
ventio. Omnes enim hæ definitiones huc tendunt,  
quod partes in unum consenserint, vel in unam sen-  
tentiam convenerint.

TH. VIII.

*Quid sit  
nudum pa-  
ctum.*

Quod si illud plane sine intentione se obligandi fa-  
ctum, da sie nur bloß von der Sache geredet / und  
ihnen einerley Recht und billig gedaucht / wiewohl  
sie sich einer gegen dem andern nicht verbindlich ge-  
macht: dicitur in specie nudum, siquidem etiam de  
quæstione aliqua idem statuendi inter Doctores fa-  
cta communicatio, in idem placitum consensus recte  
dici posset, uti hunc sensum ex verbis dictæ definitio-  
nis pacti elicit Bachov. ad Treut. *Disp. 6. Tb. 1. Lit. B.* vel  
si aliqualis determinatio adfit, illa tamen ob generali-  
tatem verborum ad formandam vel tollendam to-  
tam obligationem sufficiens non sit. Si enim contra-  
ctus



ctus est, quando negotium inter duos pluresve data opera geritur, ut vel uterque invicem, vel alteruter obligetur, ut in emtione venditione, locatione conductione &c. seu uti *l. 19. ff. de verb. sig. definitur*. si contractus est ultro citroque obligatio, quam definitionem Sutholt. *Diff. 12. §. 48. & Bach. ad Treut. Vol. 1. Disp. 6. th. 1. Lit. D.* in contractibus unilateralibus non admittendam esse frustra probare conatur, quoniam sensus legis est, Duo ultro citraque convenire ad dandum vel faciendum aliquid vid. *Dom. Struv. Exerc. civ. 6. aph. 29.* Et ita admittendum, contractus est ultro citroque obligatorius, & tamen pactum aliquando diversum quid est à contractu, necessario hæc diversitas in intentione se obligandi vel non, consistere debet. Imò hoc manifestum est *ex l. 1. ff. de pact.* cumque pactum & conventio per jam citatas leges in jure nostro sint synonyma, huc quoque rectè applicantur verba *d. l. 1. §. 3.* Sicuti convenire dicuntur, qui ex diversis locis in unum colliguntur & veniunt, ita & qui ex diversis animi motibus in unum consentiunt; id est in unum sententiam decurrunt, pactum iniisse dicuntur.

*Quomodo  
differant  
pactum &  
contractus.*

Th. IX.

Quamdiu itaque pacto nihil aliud accedit, ex quo intentio obligationis determinatæ colligi possit vel ex moribus gentium & ex certo nomine, quod totum negotium & illius naturam indicet, vel ex causa, vel ex lege, vel ex conventionem expresse determinata, tamdiu pactum dicitur nudum: Cujus rationem dant Bartholus & alii *ad l. Jurisprudentiam 7. §. igitur nuda*

*Quando ex  
conventio-  
ne vel pacto  
detur actio.*



*nuda ff. de pact.* quoniam in simplicibus & puris finibus conventionis seu placiti stent, nihil circum se habentia, vel nomen speciale, vel causam vel contractum, quoad certum modum obligandi determinantur, exemplo hominis, qui tunc nudus discitur, quando talis est, qualis ex utero matris procesfit, quam rationem confirmat *l. 27. C. de Locato.*

Th. X.

*Pactō nudo  
male oppo-  
nitur vesti-  
tum.*

Absurdum autem est & planè ridiculum, quod Doctores dum quædam pacta nuda dicuntur, reliqua denominent vestita, sicuti enim in jure invenimus nudam voluntatem, *l. 3. vers. ideoque questum ff. de rescind. vendit. l. 18. ff. de adimend. vel transf. legat. l. 9. §. 5. ff. de acquir. rer. domin. nudum consensum l. 14. ff. Locati nudam proprietatem l. 19. pr. ff. de usur. l. 1. ff. de usu & habitat. l. 2. §. 8. ff. ad SCrum Tertulian. nudam indulgentiam l. 1. pr. ff. und. cognati nudam possessionem l. 38. §. 3. ff. de verb. obligat. nudum factum l. 52. §. 1. ff. eod. quibus omnibus vocabulum, nudum additur, quia nihil aliud adest, quod in controversiam veniret, quam sola proprietas. &c. ubi absurdum tamen esset, distinguere inter vestitam & nudam voluntatem, inter vestitam & nudam proprietatem. &c. Ita quoque nudum dicitur pactum, quod nil est nisi pactum, seu quia in nudis placiti seu pacti finibus sine obligandi effectu subsistit Sutholt, *dissert. 12. tb. 50.* eodemque modo germanicè dicimus, *Es ist nur bloß von der Sache geredet /* indè absurdum etiam esset quod si tali pacto aliquid accesserit ex quo obligatio inducatur, illud dicere vestitum, de*



de quo Suthold *d. Dissert. 12. tb. 57.* eleganter ita dicit:  
 Pacta nuda & non nuda Juris-Consulti veteres suis  
 vestimentis & panniculis mire involverunt, cum e-  
 nim conventio, quæ non producit actionem, in Ju-  
 re vocetur pactum nudum, illi verborum elegan-  
 tiam negiectim habentes, reliquas conventiones ap-  
 pellarunt pacta vestita, & quot modis conventio  
 accipit vim obligandi, tot fecerunt pactorum vesti-  
 menta.

Th. XI.

Perspecta pacti definitione & divisione in nu-  
 dum, & non nudum progredimur ad effectum pacti  
 nudi, quod jure civili obligationem seu actionem non  
 parit *l. 7. §. 4. l. 45. ff. de pact. l. 10. §. 28. C. eod. l. 1. C. de*  
*pact. convent. l. 27. de Locato* tum enim, uti dictum pa-  
 ctum appellatur nudum, si nihil præter consensum  
 & in idem placitum adfit, contrahentes autem sese  
 exinde obligari noluerint. Huc cum primis perti-  
 nent pacta de contrahendo, in quibus quidem par-  
 tes in unum consentiunt, quia tamen certa deter-  
 minatio deficit, imperfectum illud negotium sine  
 dubio ad præcisè obligandum nullum est, uti dicitur  
 §. 7. *in fin. Inst. quibus mod. testam. infirm.* ex eo autem,  
 quod nullum est, nullum Jus nascitur, per vulgat.  
 Illud evidens est in pacto de vendendo E. g. Titius  
 intendens vendere equum Cajo dicit: qui pro hoc e-  
 quo mihi 100. dabit; ille hunc equum à me habebit,  
 Cajus regerit: Si octoginta acciperes, sine dubio e-  
 quum traderes. Titius tandem in illam summam  
 con-

*Effectus  
pacti nudi.*

*Pactum  
emptionis.*





consentit, & ita nudum pactum inter illos intercesfit, idem enim illis placuit. Titius autem Cajum convenire non potest, ut octoginta pro equo det, ad hoc enim se nondum obligavit, sed deficit determinatio ratione personæ, sese obligare volentis.

*Pactum de vendendo.*

2do aliud damus exemplum pacti de vendendo, in quo quidem ratione personarum dubium non subest, sed tamen ratione pretii certa determinatio non adest. Casus est hic: Cajus Mevio dicit: Vendam tibi domum meam, Mevius respondet: emam; Nudum pactum igitur initum est, dum uterque in idem consentit, sed ex hoc pacto actio dari nequit, licet enim contractus emtionis venditionis solum consensum requirat *l. 1. §. 2. ff. de rer. permut.* illis verbis tamen: Volo tibi vendere, non inducitur venditio, in ea enim uterque contrahentium consensum de certo pretio exprimere debet, nisi enim animus utriusque consentiat, perducere ad effectum, id quod inchoatum non potest. *l. 55. ff. de obl. et act.* dum autem de pretio non convenerunt, certa determinatio non adest. *add. colleg. Argent. ad h. t. §. 28.* imò licet ille, qui vult vendere, certum pretium prætendat, quod emtor dare mente fortè secum constituit, nondum tamen ore expresit, licet prior ac potentior sit mens, quam vox, nemo tamen sine voce dixisse & se obligasse videtur *l. 7. ff. de supell. legat.* multò minus ad id condemnari poterit. Eodem modo emtio venditio, quæ scriptura confici debet, in qua uterque in idem consentit, se tamen obligare non vult sine scriptura, ad nudum pactum referenda, & donec aliquid scripturæ

*Si placuerit emptionem fieri in scriptis.*



ræ deest, nullum Jus, nulla actio oritur, licet non modo simpliciter & in genere pacti sint, sed & consenserint de pretio. *pr. Inst. de empt. & vendit. l. 17. C. de fide instrum.* sufficit enim, quod voluntas ad sese obligandum determinata nondum adsit. Sic quoque 3tio ad pacta nuda referimus, pacta de mutuo dando & commutando quamdiu ratione quantitatis, loci, temporis vel modi &c. nihil certi determinatum est.

Huc 4to pertinet, pactum de permutando, *Pactum de permutando.* ex illo enim paciscentes non absolute obligantur, rem cum alterius re simpliciter commutare, sed cuique illorum liberum manet rei suæ permutandæ determinationes adicere, & præter alterius rem, aliquid amplius exigere; quamdiu itaque inter illos, qui permutare volunt, de hoc nihil determinatum est, actio merito denegatur, quoniam tale pactum de permutando in simplicibus placiti finibus substitit, atque hoc est, quod Imperator dicit *in l. penult. in fin. C. de his qui ut indign.* Nihil actum credi, dum aliquid addendum superest.

TH. XII.

Multa quidem exempla pactorum de contrahendo adhuc afferri possent, sed quoniam de mente nostrâ ex propositis quæstionibus jam dum satis constare poterit, alia solummodo adhuc exempla pacti nudi ex ipsis legibus desumemus, & ita quintum exemplum nobis occurrit, ex *l. 48. ff. de pact.* ubi casus proponitur, quo quis cum illo, qui hereditatem tanquam communem possedit, nudo placito convenit, ut hereditas dividatur & sic à communiione recedatur, postea, dum alterum falso pro cohærede se venditasse

*Pactum de dividenda hereditate.*

com-



comperit, illum admittere non vult; quæritur, an non alteri, licet hæres non sit, vi pacti, actio competat ad parrem hereditatis? & decidit Juris consultus, si alter putativus hæres in possessione non sit, ei actionem non competere, nisi certa stipulatio intervenierit, qua verus hæres se obligaverit ad certam partem hereditatis alteri dandam; alias enim actio locum habere nequit, ob deficientem determinationem & certam voluntatem sese alteri obligandi, dum neutri paciscentium certæ partes simpliciter attributæ sunt, ne unicum enim verbum de animo se ad aliquid obligandi *in d. l. 45.* reperitur, sed tantum divisionis placitum intervenit, hoc est, quod utrique placuerit, ut à communione recedatur, nec obstat quod *in l. 21. C. de pact.* idem effectus tributus sit, ubi de fratrum successione ex æquo dividenda invicem pacti sunt, ibi enim singularis casus subesse videtur, ubi paciscentes ad æqualem successione, nisi per hoc pactum, venire non poterant, tunc enim nisi expresse alter per validam stipulationem sese obligaverit ad dimidiam hereditatem alteri concedendam, possessori tantum exceptio, non actio ex hoc pacto concedi dicitur, propter deficientem alterius voluntatem sese præcise per certam stipulationem determinatam obligantis de aliquo dando, quod alias ad alterum non pertineret.

Sexto aliud exemplum occurrit *in l. 28. C. b. t.* Titius Cajo promittit annua decem præstanda, sed sine determinatione temporis, à quo & quo usque, utrique hoc placeat, Titius quoque per aliquot annos decem sol-

*De Conventione super annuo præstando.*



solvit præterlapsis vero quibusdam annis detrectat  
 solutionem. Quæritur quid juris? Respondetur,  
 quod actio contra eum non habeat locum, nulla  
 enim obligatio contrahitur sine consensu *l. 1. §. 1. ff. b. t.*  
 quam rationem etiam adducit Dominus Brunnem.  
 ad *d. l. 28.* ex quo facile constat, etiam Dn. Brunnem.  
 concedere, in casu proposito *d. l. 28.* non adesse con-  
 sensum determinatum, nec ex conventionem, nec ex  
 facta solutione, dum ad certum tempus Titius se non  
 obligavit, & ita hic casus ob deficientem determinatio-  
 nem temporis, dum non constat, quousque Titius se  
 obligare voluerit, ad nudum pactum refertur, quod  
 si enim Titius dicat: Ego me ad longius tempus ob-  
 ligare nolui, tunc Cajus contrarium probare non po-  
 test, non enim animus obligandi præsumitur, sed ita  
 interpretatio fit, ut quis liberetur potius, non ut obli-  
 getur. *l. 47. ff. de obl. & act. l. 38. ff. de re judicat. l. 99. ff. de  
 verb. oblig. l. 5. ff. de pæn. l. 125. ff. de reg. Jur.*

TH. XIII.

Hæc omnia naturali ratione patent, cum enim  
 conventiones voluntate partium consent, non possunt  
 paciscentes alia ratione obligari, quam qua se obliga-  
 re voluerunt. Sicut enim ex sola voluntate paci-  
 scendi, actio dari nequit, ita etiam ex pacto de contra-  
 hendo, actio nasci non potest, quod adeo verum est, ut  
 etiam partes certo modo se obligare volentes, in mo-  
 do tamen errantes & ita nihil certi determinantes,  
 obligati non sint, ut si pacisci tantum voluerunt & sti-  
 pulati sint, &c. de quo eleganter quædam congescit  
 Dom. Coccejus in *Disp. de Usu & different. bodiern. pact. & stip.*

*Effectus ob-  
 ligandi ex  
 intentione  
 partium  
 dependet.*



Et *stip. sect. 1. §. 7. usque ad 16.* alio enim modo, quam quo obligari voluerunt, non tenentur, & sufficit, quod hoc modo, quo obligari voluerunt, ad obligandum nondum sit determinata voluntas.

TH. XIV.

Quamvis autem pactum nudum actionem non pariat, tribuit tamen exceptionem *l. 7. §. 4. ff. b. t. l. 21. C. eod. junct. l. 48. ff. b. t. & passim.* Dubitare forsitan aliquis posset, an ex pacto nudo exceptio concedenda sit, cum tamen dixerimus, in nudis pactis nihil certi determinatum esse, quo partes se obligare voluerint; Ad demonstrandam igitur æquitatem hujus exceptionis, ex allatis exemplis paucis videre, quid illa exceptio tribuat, non planè frustraneum erit. Imum exemplum erat de vendendo equo, ubi utriusque consentientium placuerat, equum vendi pro octoginta, sed ratione personæ erat indeterminatum, Actionem non dari diximus. Ponamus igitur: post exiguum intervallum, alter petit, ut sibi concedatur equus, fortè ad illum probandum, hic equum ita acceptum retinet, & dum alter eundem reperere intendit; offert conventos octoginta thaleros, quos primus acceptare recusât, ex eo, quod vera emtio in ipsius possessoris personam nondum intercesserit. Quæritur quid juris? Responderetur, quod equum retinere possit, ope exceptionis pacti & subsecuti taciti consensus, quod ex nudo pacto per actionem fieri non poterat. Si vero e contra, venditor equi post interpositum prædictum pactum, fortè octoginta ad alterum pertinentes aliquo casu nactus fuerit, illeque pro

*Cur pactum nudum producat exceptionem.*

*Exemplis illustratur.*



pro hac pecunia quam retinere indendit, alteri invito equum obrudere velit, illi exceptio ex prædicto pacto denegatur *l. 39. ff. de pact.* ex eo quod de consensu domini equi pro certo pretio tradendi, magis constat, quam de voluntate alterius sese ad illud pretium obligandi.

2dum exemplum, erat de pacto de vendendo, v. g. domo; quod pactum quidem, ratione personæ emere volentis, sed non ratione pretii erat determinatum, quapropter actio denegabatur, quis enim alteri suam rem vult æstimare. Sed ponamus: Titius postquam de sua domo cum Mevio tale pactum de vendendo iniisset, postea alteri eandem domum vendit, antequam verò emtori possessio tradatur, Mevius possessionem adeptus est, hic cedere debet, sed ope exceptionis, se iniisse cum Titio pactum de vendendo, & paratum esse ad numerandum pretium, merito jam domum retinet, cum jam illud, quod tempore pacti de contrahendo indeterminatum erat, per contractum cum alio emtore celebratum, jam determinatum est.

3tio in pactis de mutuo dando & commodando, si is cui promissio facta est, possessionem adipiscatur, exceptione se rueri potest.

4to in pacto de permutando, si uterque rem permutandam ab altero data occasione acceperit & per aliquod tempus retinuerit, nulla præcisè mentione facta de re utriusque retinenda, postmodum ex tacito consensu illorum, qui pacti erant, præsumitur, rem simpliciter permutatam esse, & uterque ope ex-



ceptionis, propter præcedens pactum rem possessam retinere potest.

5to *in casu legis. 45. ff. de pact. divisionis placitum* ope exceptionis servatur, si uterque vel alter paciscentium possessionem certarum partium adeptus, ab altero conveniatur, tum enim determinatio quantitatis, ex alterius patientia præsumitur, & ita rei possessor ope exceptionis tutus est. Si enim non possidet, actio tanquam ex nudo pacto locum non habet.

6to *in l. 28. h. t. ex nudo pacto actio ad exigendum in posterum denegatur, quod tamen certis annis datum est, ob præcedens pactum ope exceptionis retinetur.*

Plura exempla in medium proferri possent, sed ex allatis constat, ex pacto nudo, quod ad instituentem actionem satis determinatam conventionem non habet, tantum ope exceptionis effectum aliquem sortiri.

TH. XV.

*Effectus pacti liberatorii.*

*Pactum de non petendo, non tollit ipsum debitum.*

Similiter pacta nuda liberatoria, tam in rem, quam personam concepta, obligationem ipso jure non tollunt, sed tantum ope exceptionis. E. g. pactum de non petendo, pactum nudum dicitur *l. 11. §. 3. ff. de recept. qui arbitr. receper. non*, quod nullam, sed quod non plenam determinationem habeat; quæ esset sufficiens ad tollendam totam obligationem. Hoc pactum igitur de non petendo, obligationem ipso jure non tollit, sed demum ope exceptionis *§. 3. Inst. de except. l. 27. §. 2. ff. de pact. non obst. l. 27. §. 6. ff. d. t. de pact. ut res clarior fiat, exemplo hoc quo-*



quoque demonstrabimus: Titius Mevio debet 100.  
 Titius sese proprio moru excusat erga Mevium quod  
 nondum solvere potuerit. Mevius regerit, ego nihil  
 peto à te, nec petam. Ich fordre ja nichts von dir ich  
 will auch nicht fordern. Titio hoc placet, & ita pa-  
 ctum est, sed nudum, in idem enim consenserunt Ti-  
 tius & Mevius, sed consensus ille non tendit ad tol-  
 lendam ipsam obligationem debiti. Quis enim non  
 vider, ipsum debitum non esse remissum, sed saltem  
 partes convenisse ne Mevius petat; Sie haben nicht  
 gesagt: Ich will dich der Schuld erlassen/ sondern  
 nur ich will es nicht fordern/ quapropter obligatio  
 debiti, ipso jure non tollitur, sed tantum ope excep-  
 tionis; ne Mevius petat. Hoc expresse confirmat.  
 §. 3. *Inst. de except.* Debitor si pactus fuerit cum credi-  
 tore, ne à se pecunia peteretur, nihilominus obliga-  
 tus manet, quia pacto convento obligationes non o-  
 mnino dissolvuntur, qua de causa efficax est adversus  
 eum actio, quam actor intendit. SI APPARET, EUM  
 DARE OPORTERE. Sed quia iniquum est, contra pa-  
 ctionem eum condemnari, defenditur per exceptio-  
 nem pacti conventi. Et ratione hujus actionis, debi-  
 tor effectu idem consequitur per exceptionem, quod  
 liberati ipso jure; quia idem est an quis actionem non  
 habeat, an per exceptionem actio infirmetur. l. 11. 2. ff.  
*de reg. Jur.* & paria sint, nullam & infirmam actionem  
 habere. l. 7. §. 8. ff. *de dol. mal.* l. 7. §. 14. *in fin.* ff. *de quibus ex*  
*caus. in poss. eatur.* Sed ratione debiti & principalis obli-  
 gationis non liberatus est, in hoc enim partes non con-  
 senserunt. Si enim debitum remissum esset, datum  
 vide-



videretur; & si quis obligatione liberatus est, potest videri cepisse. *l. 115. ff. de reg. Jur. & l. 2. in pr. ff. de calumniat. l. 19. ff. de liberal. caus. l. 12. ff. de novat. & l. 27. C. de pact.* Sed non potest videri cepisse, qui per exceptionem à petitione removetur *l. 13. & l. 115. ff. de Reg. Jur.* Cessante igitur fictione juris, quòd scilicet creditor acceperit, si pactus est cum debitore de non petendo, ipsa obligatio debiti sublata non est. *Nec obstat l. 66. ff. de reg. Jur.* ubi dicitur: Desinit debitor esse is, qui nactus est exceptionem justam, nec ab æquitate naturali abhorrentem. Ad quem textum respondemus. Exceptionem pacti de non petendo quidem in se esse justam, nec ab æquitate naturali abhorrentem, quando petitionem illius, qui pactum iniit, impedit. Tum autem esse injustam & ab æquitate naturali abhorrentem, quando in alium finem adhibetur, quem partes non respexerunt, uti pactum de non petendo plane in alium finem adhiberetur, si ad tollendam totam obligationem principalem opponeretur, nam obligatio principalis ipsius debiti, per pactum de non petendo non sublata est.

TH. XVI.

*Pactum de non petendo non prodest fidejussoribus illis, qui contra principalem non habent regressum.* Hinc pactum de non petendo à debitore, non prodest illis fidejussoribus, qui invito reo vel animo donandi intercessere *l. 32. ff. de pact.* quasi tota obligatione principali non extincta, & pactum personale non prodesse fidejussoribus certum est. *l. 22. l. 25. §. 1. ff. de pact.* nisi quatenus beneficium excusationis habent. *nov. 4. c. 1.* Item pactum personale de non petendo nunquam prodest correis, qui socii non sunt, sed



sed nihilominus illi conveniri possint. vid. D. Cocc. *Disp. de differ. pact. sect. 3. §. 9. 16. & seq.* Et hinc olim JCti existimarunt, pactum personale de non petendo, non nocere singulari successori, sed actionem, etsi in persona auctoris elisam, à successore tamen cum effectu intentari posse, cum exceptio doli objici non possit ei, cui cessa vel vendita est actio *per l. 4. §. 27. §. 31. ff. de dol. mal. except.* sic eo minus dubium erit quin successor singularis non solum, sed etiam ipse auctor pacti de non petendo, licite debitum principale accipiat, si alio modo, quam per petitionem illud obtinere possit. *per verb. §. 3. Inst. de except. Efficax est adversus eum actio, quam actor intendit, si paret eum dare oportere.* Imò pactum de non petendo strictissime accipiendum, cujus exempla vid. *in l. 27. §. 7. & 8.* ex quibus manifestum, aliquando pactum de non petendo nequidem obstare ipsi petitioni, si vel forma rei mutetur, vel loco unius individui in quod pactum erat conceptum, aliud exigatur.

*Pactum de non petendo strictissime accipiendum.*

Th. XVII.

Constat igitur pacta nuda liberatoria actionem ipso jure non tollere. Quod aliter sese haberet, si pacta ad tollendam totam obligationem satis determinata essent; quo major enim determinatio, eo major etiam est effectus, quapropter etiam pacta in rem, quoad elidendam actionem ope exceptionis, omnibus profunt, quorum obligationem dissolutam esse, jus, qui paciscebatur, interfuit. *l. 21. §. 5. ff. de pact. l. 7. ff. de except. junct. l. 24. ff. de pact. secus in pactis in personam l. 17. §. 3. & seqq. ff. de pact.*

*Pacta nuda obligationem efficacem non tollunt.*

D Th.



Th. XIIX.

In summa pactum, quatenus nudum, eatenus nullum obligationem parit vel tollit ipso jure, cujus ratio, uti ex dictis patet, est, vel quod de voluntate sese præcise obligandi inter partes non constet, vel quod voluntas nondum satis sit determinata & certa.

Th. XIX.

*Pactum nudum non idem est quod indeliberatum.*

Ex adductis tamen exemplis colligendum est, quod pactum nudum non semper ex animo indeliberato & ex levitate processerit, dum enim partes in idem consentiunt, deliberata ut plurimum est voluntas, sed tamen ad pariendam vel tollendam obligationem non satis determinata. Fundata igitur illorum opinio non est, qui putant propterea ex pacto nudo in jure Romano nec nasci, nec tolli obligationem ipso jure, quia est animo indeliberato & ex joco profecta essent, quamvis enim fundamentum siæ opinionis quærant in l. 19. §. 3. ff. de adilit. edict. & præcipue ibidem in his verbis: *non ut jactentur*. Illud tamen fundamentum nullius momenti est, cum jactare non significet, animo indeliberato loqui & joculari, sed imprimis hoc loco denotet, quod tanrum de re aliqua dictum sit sine intentione se obligandi, quod ex ipso textu dict. §. 3. clarum est. Imò hæc lex multo magis pro nostra sententia facit, dum §. 2. dicitur: *Dictum a promisso sic discernitur, dictum accipimus, quod verbotenus pronuntiatum est, nudoque sermone finitur, das nur bloß von der Sache geredet wird* promissum autem potest referri & ad nudam promissionem, sive pollicitationem, & ad sponsonem. &c. §. 3. additur ea autem sola dicta sive promissa admittenda sunt quæ-



quæcunque sic dicuntur, ut præstentur, non ut jactentur, ubi etiam implicite excluduntur promissa, quæ certam determinationem non habent; Sit enim quod promissor ex tali promissione in conscientia obligetur, judex tamen, qui non est cordium scrutator, adhuc ignorat, quousque promissorem condemnare debeat.

Th. XX.

Sed objicitur nobis ad infringendam nostram opinionem: Si actio denegatur, quare ex nudo pacto datur exceptio, quæ etiam ex pacto indeterminato merito concedi non deberet. Sed præter ea, quæ supra ad hoc dubium reposuimus, respondemus: Eatenus Mæstertium rectè dicere; pacta nuda parere exceptionem non tam ex se & per se, quam ex eo, quod datum factumve illud sit, de quo nudo pacto convenit: quod eatenus admittimus, si illud quod datum factumve est, non intuitu ipsius pacti, vel propter præcedentem conventionem datum sit, tunc enim ut plurimum in contractum realem vel aliud validum negotium degenerat, sed quia alter pacifcentium rem alio quocunque modo obrentam, jam in possessione habeat, & ita per exceptionem sibi retineat, quod sine præcedente pacto, sine omni causa retinere non potuisset, unde manifestum est, illam exceptionem non nasci nec ex sola datione, nec ex pacto per se, sed ex possessione & præcedente pacto, Adeoque magna differentia est inter pactum nudum & contractum innominatum, in hoc enim ex ipsa datione & factione reali actio nascitur, & non ex pacto ex hoc vero non actio sed tantum exceptio competit. De cætero in jure nostro insolitum non est, quod quædam

*Fundamentum exceptionis ex pacto.*

*Contractus innominati & pactum ex quo datur exceptio quomodo differant.*



dam conventiones non pariant actionem sed exceptionem, de quo tantum unicum exemplum hic sufficiat de SCto Macedoniano, in quo, si creditor mutui solutionem acceperit, per exceptionem retinet, sed nondum solutum actione exigere nequit.

Th. XXI.

*Pactum nudum & tractatus seu præfationes quomodo differant;*

Ex hætenus deductis jamdum etiam colligi potest, an nuda pacta rectè dicantur præfationes, seu tractatus? Contingit quidem aliquando, quòd nuda pacta v. gr. idem placitum in emtionem venditionem, locationem conductionem &c. ipsum contractum præcedant, & talia pacta nuda rectè dicuntur tractatus vel præfationes, uti hæc verba inveniuntur in l. 1. §. 11. ff. de extr. cogn. l. 134. §. 1. ff. de verb. obl. Sunt tamen & alia pacta, quæ nullus contractus insequitur. v. gr. pactum de non petendo, & talia non possunt venire nomine præfationis vel tractatus. Et hinc causa adæquata cur ex nudo pacto non detur actio, non est, quod tantum præfationes sint; nam nullum pactum, quamdiu nudum est, sive nominari possit præfatio sive non, obligationem ipso jure parit vel tollit, nisi aliud quidquam accedat pacto, ex quo determinationem capiat.

Th. XXII.

*Quando ex pacto seu conventionne oriatur actio.*

Accedunt autem pacto vel lex, vel nomen ipsius contractus & mores gentium, vel causa, vel conventio determinata. Et quamprimum ex hisce pacto aliquid accessit, statim terminum nudi pacti excedit, & non amplius dicitur nudum.

Th. XXIII.

*Pactum legitimum quid.*

Si pacto lex accedat, dicitur pactum legitimum  
l. 6. ff.



l. 6. ff. b. t. Pactum verò legitimum est, quod manente  
nuda conventionis forma, ex speciali confirmatione  
alicujus legis efficax est, vel ad obligandum & agen-  
dum, vel ad obligationem & actionem ipso jure tol-  
lendam. *Vinn. de pact. c. 4. §. 1.* Et quidem pacta illa le- *Et quidem*  
gitima vel stricte ita dicuntur, & horum tantum duo, *vel stricte*  
unum de furtis, alterum de injuriis in l. 17. §. 1. l. 27. §.  
2. *Sed si* §. 4. ff. de pact. supersunt, quæ obligationem  
ipso jure tollunt. *non obst. l. 4. §. ult. l. 5. l. 6. §. 3. ff. de his*  
*qui not. infam. videatur Bachov. in b. t. cap. de pact. legit.*  
*num. ult. Vinn. de pact. c. 4. n. 8.* Quorum alias olim ad-  
huc plura fuisse, postea vero rursus mutata, existimat  
Auctor *Colleg. Argent. tit. d. pact. §. 10. cum ibid. alleg.*  
*vid. Forster. de pact. c. 4. n. 7. §. seqq.* Vel pacta legiti-  
ma late accipiuntur, & principum constitutiones, edi-  
cta & alia ejusmodi pacta, de quibus incertum est, *Vel late*  
unde confirmata sint, simul continent. Cujusmo-  
di pacta legitima sunt pactum dotis, l. 6. C. de dot. pro-  
miss. l. ult. C. ad SCtum Vellej. pacta argentariorum de  
usuris sibi præstandis *nov. 136. c. 4. §. 5.* pactum de usuris  
præstandis pro rebus mensura constantibus l. 12. 23. C.  
de usur. pactum de usuris pro pecunia credita civita-  
ti præstandis. l. 30. ff. de usur. & de usuris pro pecunia  
trajecticia credita præstandis. l. 7. ff. de naut. fœn. pa-  
ctum constituti §. 8. 9. *Inst. de act. l. 1. pr. §. 4. §. tot.*  
*tit. ff. §. C. de pecun. const.* pactum hypothecæ l. 17. §. 2.  
*b. t. l. 1. pr. §. 1. l. 18. pr. de pign. act. l. 4. ff. de pign. act. l. 4.*  
*ff. de pign. §. hypoth. l. ult. C. de luit. pign. §. 7. Inst. de act.*  
*§. 3. in fin. Inst. de interd.* pactum donationis l. 35. §. ult.  
C. de donat. Et si quæ plura pacta legitima ex legibus  
probari possint, illa omnia partim propter commu-  
nem



*Ob elo-  
quentiam  
forensem  
hominum  
malitiam.*

nem utilitatem, partim ob alias rationes, ex lege suam determinationem accipiunt. Et si paulo penitius ipsa pacta legitima inspiciamus, tunc patet, quod etiam leges Romani in illis tacitam determinationem respexerint: quoniam autem illa tacita determinatio, ob eloquentiam forensem & hominum malitiam, ad tollendam vel pariendam actionem non sufficiebat, lex accessit, quæ expresse illa pacta confirmaret. Quod paucis probabimus.

Th. XXIV.

*Pactum ne  
furti aga-  
tur.*

Pactum ne furti agatur (secus ac supra de pacto de non petendo dictum) ipsam actionem tollit, dum enim fur de furto paciscitur, ne furti teneatur, hoc sibi acquirit, ut ne fur habeatur, à pœna furti liberetur; & ita tota actio furti tollatur. Si enim is, cui res furto ablata, dicat: Furti non agam, jam tacita determinatio adest, quod pœnam exigere nolit, hæc enim sine condemnationem privata autoritate non debetur, ad exigendam autem pœnam nulla actio datur, quam actio furti. Interim pactum in actione furti interpositum ad furtivæ rei conditionem non extenditur. l. 7. ff. de condict. furt. ibique Gothofred. in not. unde expresse constat, hoc pactum, ne furti agatur, à Legislatoribus civilibus non magis confirmari, quam quatenus jamdum tacitam determinationem ex ipso pacto in se continebat.

Th. XXV.

*Pactum ne  
injuriarum  
agat.*

Item in pacto, ne injuriarum agatur, jamdum tacita determinatio continetur, injuriarum esse remissam,



fam, propterea que lex accesfit, quæ obligationem ipfo jure tolleret.

Th. XXVI.

Incerta dotis promiffio, nulla expreffa quantitate non valet *l. 1. C. de dot. promiff. nisi pater fit, qui tit. Pactum do-*  
 promiffit, hic enim quantitate etiam non expreffa tenetur *l. 3. eod. l. 69. §. 4. ff. de jur. dot. & tunc quantitas pro modo facultatum patris & dignitate mariti determinari potest. d. l. 69. §. 4. licet nullam dotem promiffit. Dom. Brunnem. ad d. l. 1. C. de dot. promiff. ibique citati Doctores.* ubi verò certa quantitas promiffa, etiam ab extraneo, ibi jam tacite quoque tempus exactionis determinatum est, inest enim promiffioni hæc conditio, si nuptiæ fuerint fecutæ *l. 21. ff. de jur. dot.* quare in hisce casibus, si pater dotem promiffit, certa quantitate non expreffa, extraneus verò certa quantitate expreffa, ob tacitam determinationem quantitatis, & temporis ad solvendum, lex promiffionem dotis ex pacto confirmavit. *l. 6. C. de dot. promiff. ubi constitutum est, semper promiffioni dotis credi inesse stipulationem l. un. §. 1. C. de rei uxor. act.*

Th. XXVII.

Pacta usurarum in quatuor recensitis casibus, *Pactum usurarum.*  
 sine accedente legis determinatione nuda sunt, propter antea non expreffam quantitatem usurarum, & non determinatum tempus solutionis, cum verò vel lex determinet quantitatem & tempus solutionis, in hisce casibus, ubi expreffa determinatio facta non erat, lex ex nudo pacto promiffas usuras corroboravit. *nov. 136. c. 4. & §. præcipue vers. usura sane. Verbis quod*



quod ex quo usura finita non sunt *Et c. l. 12. C. de usur. verb. ex nudo pacto l. 30. ff. de usur. l. 7. ff. de naut. fœn. contra regulam, qua non nisi ex stipulatione in stricti juris iudiciis usuræ deberi dicuntur. l. 3. C. de usur. Si verò usuræ expressæ, vel per legem aut pactum in bonæ fidei iudiciis adjectum, determinatæ sint, tunc vel ex determinata conventionione vel ex contractus cohærentia debentur, nec opus est certa legis confirmatione. dict. nov. 136. c. 5. vers. usura sanè, siquidem certas pepigerint, pacta præstantur. l. 26. §. 1. in fin. ff. depositi. non obst. l. 31. ff. de usur. lex enim illa loquitur de casu, ubi planè non apparet, de quibus usuris conventio facta sit, vid. Gothofr. in not. ad h. l. lit. s. nec obst. l. 41. §. 2. ff. cod. Contractus mutui enim in jure civili est stricti juris, ex quo usuræ non debentur, nisi stipulatæ sint, & ita legibus civilibus non constare potest de quantitate usurarum in mutuo, nisi determinatio adsit ex conventionione. Hodie verò determinatis etiam ex mutuo usuris, aliud dicendum foret, cum enim recessus Imperii determinent quantitatem usurarum in mutuo, etiam vi horum recessuum usuræ mutuo danti adjudicari poterunt.*

Th. XXIIII.

*Pactum  
constituti.*

Pactum constituti est i. quando quis iterato promittit, quod nudo pacto promiserat. Casus esto hic: Mevius conqueritur erga Cajum de sua miseria, ob deficientem ipsi paratam pecuniam, quæ fortè aliquando lucrum facere possèt; Cajus regerit, se ipsi aliquando, si opus habuerit, mutuo daturum centum. Post intervallum Mevius à Cajo mutuo petit cen-



centum, hic se excusat, se jam pecuniam non habere, quæritur, an Mevio contra Cajum ex prædicto pacto detur actio, negatur, eò quod dictum pactum ratione temporis indeterminatum sit, & sic Cajus non præcise obligatus sit ad pecuniam hoc tempore dandam. Si verò ex intervallo eandem promissionem repetat, eaque confisus Mevius cum aliquo contraxerit, pro quo contractu adimplendo promissa pecunia opus habet, jam Cajus ex hoc constituto tenebitur, eo quod lex præsupponat constituentem ex repetita promissione, se jam ad quodcunque tempus obligasse, & inde actionem ex hoc iterato pacto constituti alteri tribuit. 2dò pactum constituti est, quando quis debitum suum antea illiquidum promittit, nam si debitum jam liquidum esset, etiam absque pacto constituti obligatus esset, ad solvendum. 3tio quando quis debiti alterius solutionem promittit, quo casu jam implicite ex debito alterius determinatio quantitatis, & termini solutionis adest, dum nihil magis ex constituto debetur quam quod principale debitum erat, *l. 1. §. ult. l. 3. §. 1. l. 11. in fin. l. 12. ff. de pec. const. authent. si quando & l. receptitia 2. C. eod.* sed tantum ad id, quod debetur, sive adjecta sit certa quantitas, sive non, obligatio nascitur. *l. 14. pr. ff. d. t.* proptereaque pactum constituti legibus expresse confirmatum est, Quod vero pactum constituti potissimum ad res fungibiles introductum, ratio hæc esse potest, quod promissiones super aliis rebus, vel in donationem, vel in naturam alterius contractus incidant.

Th. XXIX.

In pacto hypothecæ licet non expresse dicatur, *Pactum by-*  
 quousque hypothecæ obligata esse debeat, tamen, *potheca.*  
 E quia



quia hypotheca in assecurationem debiti determinati, & in illius concurrentem quantitatem constituitur *l. ult. C. de distract. pign.* pactum hypothecæ legibus corroboratur.

Th. XXX.

*Pactum de donando.*

Promissio in futurum tempus de donanda certa quantitate E. g. 100. thalerorum lege confirmata est. Pactum vero donationis verbis præsentibus conceptum, sicuti in jure nunquam dicitur nudum, (*non obst. l. 2. C. de evict. in illa enim pactum donationis dicitur nudum respectu deficientis cautionis, nec in illa lege dicitur donatoris non teneri ad donationem, sed hoc dicitur, heredes donatoris non teneri ad evictionem, sicuti donator ipse nequidem hodiè ad præstationem evictionis tenetur. vid. Dom. Brunnem. ad h. l. n. 1. & 2.*) & sicuti pactum donationis cum pacto de donando nunquam confundendum est. *vid. Joseph. Ludovic. tit. de donat. concl. 3. quem cum aliis allegat. Gothofred. in not. ad l. 35. in pr. sub lit. n. C. de donat. Vinn de pact. cap. 4. n. 5.* ita quoque speciali lege confirmari opus non erat, sed ad illa pacta referendum, quæ ex conventionem suam determinationem habent. Imò & illa pacta, quæ modo legitima diximus, si plane & totaliter determinata sint, non legitima, sed potius conventa pacta (de quibus infra pluribus) dicenda sunt.

Th. XXXI.

*Pacta adjecta.*

Ad pacta obligatoria quoque referenda sunt pacta contractui in continenti adjecta, indeque lege ita disponente vires participantia *l. 7. §. 5. ff. de pact. l. 13. C. eod.* quæ verò ex intervallo adjiciuntur, in natura & vi pacti nudi subsistunt, nec obligationem & actionem civiliter efficacem producant. *dict. legibus & l. 72. ff.*



l. 72. ff. de contrab. emt. Ratio diversitatis sine dubio in eo est, quod pacta in continenti contractui adjecta ex cohærentia contractus determinationem capiant, cum alias ad actionem efficacem sufficiens determinatio non adesset. Et quoniam pacta ex intervallo adjecta contractui inesse non videntur, ex cohærentia pacti quoque nullam determinationem accipere possunt, per consequens tantum vim nudi pacti habent. Ut res fiat clarior: Titius vendens ædes suas Cajo, conquerens se illis ædibus ægré carere, nisi jam necessitate coactus vendere deberet. Cajus paciscitur cum illo, se quancumque ipsi easdem ædes rursus venditurum. Quæritur, an ex hoc pacto Titio ædes repetendi detur actio? viderur quod non cum, ex pacto de vendendo propter deficientem determinationem pretii actio non comperat, uti supra demonstratum; quia tamen hoc pactum contractui venditionis factæ in continenti adjectum, ex eodem determinationem ejusdem pretii recipere viderur & ideo ex eo datur actio. Si verò ex intervallo Cajus Titio dixerit, quod ædes olim sibi venditas ipsi rursus venditurus sit, illud pactum naturam nudi pacti de vendendo retinet, cum jam liberum sit Cajo, utpote ædium domino, rem sine conditione acceptam æstimare pro lubitu, quod secus est in præcedenti casu.

Th. XXXII.

Si negotium tale sit, quod apud omnes gentes centas habet præstationes & determinatam formam & inde peculiari & specifico nomine notatum, ex quo nomine de omnibus præstationibus constat, dicitur contractus nominatus, & tunc conventiones genericum nomen conventionum vel pactorum non

*Contractus nominati.*



*Contractus  
nominatus  
unde vim  
obligandi  
habeat.*

retinent, nec sunt conventiones indeterminatae, & varium & indefinitum habentes objectum, sed certum objectum & ad id certam & determinatam formam ex ipso jure gentium habent *vid. l. 7. §. 1. & 2. ff. de pact. Struv. synt. jur. civ. exerc. 6. tb. 9.* E. g. si de vendendis aedibus pro 500 duo conveniant, tunc contractus est nominatus, mores gentium jam dum determinarunt, ad quod & emtor & venditor ex emto obligentur, nec opus est, ut e. gr. ratione temporis, modi, &c. omnia expresse a partibus recenseantur, nisi ab illis, quae mores gentium determinarunt, recedere, aut iisdem aliquid superaddere velint.

Th. XXXIII.

*Unde con-  
tractus in-  
nominatus.*

Quando causa accedit, tunc pacta veniunt nomine contractuum innominatorum, quod enim in hoc negotio causa aliud non denotet, quam datum vel factum, seu implementum ab alterutra parte, ex quo pactum perfectam determinationem capiat, docet Ulpianus *in l. 7. §. 2. ff. h. t. & Dom. Sutholt dissert. 12. aph. 42. 43. 44. & 49.* Struv. *exerc. civ. 6. tb. 9.* & ex his contractibus datur actio praescriptis verbis, *dict. loc.* nam in traditionibus rerum, quodcunque pactum sit, id valere manifestissimum est. *l. 48. ff. de pact.* Quod quoque exemplo illustrabimus. Aliquis equum habens alii etiam equum habenti dicit, an ipsi placeat permutare, vulgo *haben wir was zutauschen* / consentit alter, sed nihil ulterius sponsum vel stipulatum fuit; quaeritur an contra invitum ex hoc pacto actio derur? negatur, quia nudum pactum permutandi habetenus indeterminatum, & inde inefficax est, eo, quod alter actorem facile repellere possit, si tantum diceret, se pro suo equo ultra rem permutandam amplius quid exige-



exigere. Si vero alter statim equum tradidit, alter simpliciter eundem acceptavit, jam ex hac datione & facto causa subest, ex qua alter ad rursus eodem modo tradendum vel restituendum obligetur. Et sic dicitur contractus innominatus.

Th. XXXIV.

Si determinata conventio pacto accedat & de voluntate paciscentium plane constet, tunc ex tali pacto etiam de jure civili dabatur vel actio, vel exceptio pro necessitate negotii, quoniam jus civile, fidem fallere, grave existimabat l. 5. ff. de pecun. const. & fidem placitis adheri volebat. l. 7. ff. mandati. Exempla occurrunt in l. 7. §. 15. l. 17. ff. de pact. l. 1. l. 3. l. 12. l. 17. C. eod. l. 7. pr. ff. nau. caup. & c. l. 3. §. 4. ff. de condict. caus. dat. l. 10. C. de transact. & passim in jure imò l. 95. §. 4. ff. de solut. dicitur, naturalis obligatio justo pacto ipso jure tollitur. & l. 19. §. 3. ff. de adilit. edict. Ea dicta sive promissa admittenda sunt, quæcunque sic dicuntur ut præstentur. & l. 84. §. 1. ff. de reg. jur. Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, Cujus FIDEM SECTI SUMUS. Et si pacta ob turpem causam non sunt servanda, l. 27. §. 4. ff. de pact. tunc si turpis causa non adfit, servanda erunt. Elegans ratio est in l. 35. C. de donat. Cum in arbitrio cujuscunque sit, hoc facere quod constituit, oportet, eum vel minimè ad hoc profilire, vel cum ad id venire prope ravit, non quibusdam excogitatis artibus propositum suum defraudare, tantamque indevotionem quibusdam quasi legitimis velamentis protegere, nam quod semel voluntatis, hoc postmodum necessitatis est. l. 17. §. 3. ff. commodati.

Determinata conventio semper produxit actionem.

Th. XXXV.

Quia vero in foro Romano sæpius de minutis-  
E 3 Scripulatio  
suma





quare in-  
troducita.

fima circumstantia in pactis acriter disputabatur, an in pacto hoc vel illo sit determinata obligatio, inde jus civile ad amputandas lites introducebat stipulationes, quæ in illis præcipue pactis, quæ dubium relinquere poterant, utrum plenam determinationem haberent, & sic stipulationibus ansam dabant, ulteriori & quidem plenæ determinationi inservire, & ita actionem producere deberent.

Th. XXXVI.

Si igitur pacto nudo nullam certam determinationem habenti stipulatio accedat, tunc illud validum est, & hoc est, quod in legibus dicitur; nisi stipulatio accesserit. Si enim hæc ad certum aliquod præstandum accedat, tunc ex illa conventionem datur actio. *l. 21. 27. 28. C. de pact. l. 3. C. de rer. permutat. l. 134. §. 1. ff. de verb. obl. l. 45. ff. de pact. l. 20. ff. de adilit. edict.* Ast contra hanc opinionem rursus magnum dubium movetur, quomodo ex indeterminata conventionem propter accedentem stipulationem actio dari possit, præferim cum etiam ibi de jure civili actio denegetur, ubi non apparet, quid quale, quantumque in stipulatione sit, vel ubi stipulatio dicitur incerta. *l. 75. per tot. ff. de verb. obl.* Ad quod dubium respondemus: Stipulatio olim fiebat per solennem interrogationem & responsum: Spondes? spondeo. Promittis? Promitto. Fidepromittis? Fidepromitto. Fidejubes? Fidejubeo. Dabis? Dabo. Facies? Faciam. *§. 1. Inst. de verb. obl.* quæ verba, dum in præsentia partium actu continuo concipiebantur, rem plenissime determinabant, ut statim de jure hujus contractus sine ulteriori explicatione constaret. hinc *in l. 27. §. 2. pr. ff. de pact.* dicitur. In Stipulationibus Jus, scilicet in alterum,



rum, seu obligatio, in pactis factum, id est, solum materiale negotii versatur. Si enim stipulatio adhibita erat, omnia credebantur recte facta, & de voluntate obligandi dubitari non poterat, siquidem pro stipulatione erat præsumtio, donec contrarium probaretur. *vid. §. 11. Inst. de inutil. stip. & Doctores ibid.* In pactis verò adhuc de mente paciscentium & illorum voluntate dubitabatur, & de solo facto partes tantum convenisse credebantur. Quem usum stipulationum Dom. Mynsing. Assessor. Cam. Imper. *add. §. 1. Inst. de verb. obl.* admodum laudat, & graviter conqueritur, illum à partibus negligi. Neque, ait, vana fuit talis observatio veterum, nam adimebat omnem verborum amphibologiam & controvertendi de mente stipulantium occasionem. Et videmus hodiè multos terere annos judices, in cognoscendo, utrum promissum sit, annon sit, ut ferè revocanda videatur vetus stipulationis solennitas.

Th. XXXVII.

Postea quoque; Stipulatio ad magis firmandos contractus adhibebatur, non quidem de necessitate, quasi contractus sine accedentibus stipulationibus nullam actionem peperissent, quoniam contractus consensuales non verbis, sed saltem consensu *l. 1. ff. Locati*, contractus reales autem re perficiuntur. *l. 17. ff. de pact. Struv. Syntagm. jur. civ. exerc. 16. aph. 4.* & sic sine stipulatione actionem pariunt. *l. 3. §. 1. ff. de act. emt. l. 4. §. 1. ff. de usur.* Stipulationes autem contractibus ob majorem certitudinem & citiorem expeditionem accedebant, paratam enim habebant executionem. *Berlich. super con- p. 1. concl. 80. n. 77.* & ira agentem ab ordinario processu liberabant. Sic in specie pactis super contractibus

*Quid stipulatio operetur in contractibus nominatis.*

*Stipulatio super contractu reali incundo.*

rea-



realibus seu innominatis ineundis adjectæ stipulationes operabantur, quod re integra pœnitere non liceat. *arg. l. 4. l. 7. C. de rer. permut. Struv. exerc. civ. 47. tb. 4.* quod in promissione mutui de solo promissore, non autem ab illo, qui mutuo accipere vult, intelligendum, hic enim nunquam ad accipiendam pecuniam urgetur, sed in potestate habet, ne accipiendo se obstringat, quamvis stipulatus sit, quod ita expresse innuunt *l. 30. ff. de reb. cred. & l. 2. vers. proinde ff. de dol. mal. & met. except.* ut miremur, quosdam esse, qui putant, Paulum in *l. 30. ff. de reb. cred.* ita decidere ob deficientem stipulationem, & quod sit pactum nudum. Interim, si promissoris tamen aliquid intersit, ille, qui mutuo accipere voluit, ad interesse tenetur. *vid. Jason & Zasius, quos allegat Dom. Gothofr. in not. ad d. l. 30. ff. de reb. cred.*

Th. XXXIIX.

Hic erat verus stipulationum usus, cum vero stipulatio, quæ ad amputandas lites quidem introducta erat, tamen materiam litium contentiosis hominibus præstaret, dum disputabant, stipulationem directis verbis non esse conceptam, vel, dum volebant, stipulationes etiam in pactis planè determinatis de necessitate adhibendas esse; Prætor etiam tum temporis æquitatem respiciens, ad simplicitatem juris gentium veniebat, dicens: Pacta conventa servabo. *l. 7. §. 7.*

*Pacta conventa quid sint, & qualem effectum habeant.*

*l. 13. ff. de pact. l. 29. C. eod. cujus edicti æquitas naturalis deprædicatur. l. 1. pr. ff. eod. & ad hoc edictum fere totus titulus ff. & C. de pacti. conscriptus est, ad demonstrandum, ex quonam pacto actio danda sit vel tantum exceptio. Nuda pacta enim tantum exceptionem tribuunt, sed pacta conventa Prætor se servaturum promittit, data scilicet aut actione aut exceptione, prout hac aut illa ad servan-*



servandum opus est. *l. 44. § 1. ff. famil. ercisc.* Si enim prætor solummodo voluerit servare pactum conventum dando exceptionem, uti vult Bachovius & Doctores communiter, majorem valorem pactis conventis non tribuisset, quam quem jus civile nudo jam antea tribuerat, utpote ex quo etiam exceptio dabatur, uti in præcedentibus demonstratum per textus, in quibus Juris prætorii nulla mentio fit. Pacta servare igitur *in hoc edicto Prætoris* nihil aliud significat, quam dare actionem & exceptionem. Hinc Cicero *lib. 3. de offic.* inquit. Pacta & promissa semperne, uti prætores solent dicere, servanda sunt? Quæ opinio expresse confirmatur *in l. s. C. de pact.* in qua, idem effectus in casu ibidem proposito pacto convento tribuitur de jure prætorio, qualis ipsi solutioni de jure civili competit, de utroque enim eodem verbo dicitur, quod debitor prorsus liberatus sit; Et in subsequentibus illius legis, illi pacto tribuitur exceptio perpetua, cum alias pactum personale de non petendo nec liberet, vel obligationem tollat ipso jure, nec perpetuam exceptionem, quæ hæredibus prodesset, tribuat, quod in hoc casu *d. l. s. de jure prætorio* aliter sese habet, quia compensatio illius, quod creditor pro patrocinio causæ debebat merito in considerationem venire debet. Verum itaq; manet, quod Prætor ex pacto convento, etiam actionem, si ea opus sit, dare velit. confirmat *l. 59. ff. de pact.* ubi dicitur; per quos acquiri nobis stipulatione potest, per eosdem etiam pactis conventis meliorem nostram conditionem fieri posse placet. Interim pacta nuda, siquidem certam determinationem non habentia, à prætore nec confirmata sunt, nec confirmari possunt. Nec obstat huic opinioni, quod antea dixerimus, vocem  

F

pacti,



facti, facti nudi & facti conventi promiscue in iure usurpari, nec illud quod pactum de non petendo *in l. ii. §. 3. ff. de recept. qui arb. rec.* dicatur nudum pactum, & *in l. 27. §. 5. ff. de pact. l. s. C. eod. §. 3. Inst. de except.* Idem pactum dicatur conventum. Sunt enim etiam pacta nuda quæ aliqualem determinationem habent, sed non plenam, ad tollendam totam obligationem sufficientem, uti in specie est pactum de non petendo, & eatenus, quatenus determinata sunt talia pacta, dicuntur conventa, & quatenus conventa sunt & de voluntate determinata constat, eatenus prætor pacta se servaturum promittit. Postea etiam Imperator Leo & Justinianus omnium solemnitate verborum sublata, sensum & consonantem intellectum ab utraque parte solum desiderant, quibuscunque tandem verbis expressio facta sit. *l. 10. C. de contrab. & committ. stip. §. 1. in fin. Inst. de verb. obl.*

Th. XXXIX.

*Pactū conventum & stipulatio in quo differant.*

Hinc hodie pactum conventum & stipulatio non multum different, nisi in hoc, quod stipulatio non possit fieri nisi inter præsentem & actu continuo. *vid. omnino acutissimus Dominus Coccejus dict. Dissert. de different. pact. & stip. sect. 2. §. 11. & seqq.* Pactum conventum autem etiam fieri possit per literas.

Th. XL.

*An stipulatio inter absentes contrahatur.*

Minus rectè autem quidam Doctores subtilitates juris civilis de dandis actionibus vanitatis & iniquitatis arguunt, ad quod non ultimo loco proferunt, quænam esset illa subtilitas, quod Stipulatio literis non possit fieri, sed quod actu continuo inter præsentem concipienda sit; Ex quo putant illi Doctores, ergo patentes per literas sese obligare non potuisse. Et quidem primo intuitu hoc videtur admodum plausibile, cum



cum pactio, quæ continetur in stipulatione inutili, ne quidem vim pacti habeat, *per l. 1. §. 2. ff. de verb. obl.* Sed hic textus loquitur de eo casu, si partes stipulari, non pacisci voluerunt. Aliter res sese habet, si partes per literas convenire voluerunt, etsi enim per literas stipulari nequeant, convenire tamen possunt, *l. 2. pr. ff. de pact.* In qua conventionem tamen non requiritur, sicuti in stipulatione, ut sit actus continuus, sed obligatio deum nascitur, si utraque pars consensum per literas expresit, nam si pactum fuerit, actio dabitur ex omni eo, quod inter partes etiam absentes vel per nuntium, vel per epistolam ex intervallo actum fuerit. *§. un. Inst. de obl. ex cons.* & quidem conventiones illæ, quæ fiunt per literas, ut plurimum in alium contractum incidunt, ex quo suam determinationem accipiunt.

Th. XLI.

Ita accuratissimi legum Romanarum conditores sollicitè nomina actionum distinguebant, ne partes inutilibus processibus tererentur, & Prætor qui de iure respondebat, nomen actionis dicebat, quod & hodie sæpius consultum esset, ne post prolixos processus expectandus sit impius ille pronuntiandi modus, daß die Klage allermaßen dieselbe vorgebracht / nicht Plas funde / sine adjectione quo modo ergo agendum sit, æque dubium actorem relinquens. Qui vero optimus ille mos ab usu recessit, eo magis Advocati bene perpendere debent, ex quonam fundamento suam actionem instituere velint, & si de eo dubitent, Facultates Juridicas consulant, ut præstationes negotio convenientes bene perspectas habeant. De quo prolixius Illustris Dn. Stryck. in tract. de action. caute inslituendis multa elegantissimè conscripsit.

*Cur ex pacto olim non data fuerit actio.*

*Mos dandorum actionum merito retinendus fuisse.*





*Nec hodie  
ex pacto nu-  
do actio  
competere  
potest.*

Sed quoniam pagina deficit ac tempus, ad finem hujus dissertationis properamus. Cum liquidò constet ex hac dissertatione, quod pactum nudum sit indeterminata conventio, quæ in jure civili nullam actionem parit vel tollit ipso jure, & quod è contra ex omni determinata conventionem etiam in jure Romano efficax actio vel exceptio pro necessitate negotii concedatur. Hinc gravissime errant Doctores, quando dicunt: Hodie ex nudo pacto datur actio. Et uti mala causa malè defenditur, ita malè provocant ad Jus canonicum *cap. I. § 3. X. de pact.* vel ubicunque etiam alias jus canonicum de pactis dixerit, quippe nullum Jus, nulli recessus Imperii, nulli mores facere possunt, ut ex indeterminata conventionem nascatur obligatio ad pariendam actionem. Ad quid enim Judex illum condemnabit, qui nihil certi promissit, cum nemo obligetur, nisi ad id quod voluit, ut autem de voluntate constet alteri, mentis expressione opus est, per tritum illud: *Verba ligant homines taurorum cornua funes.* Et sicuti nemo scit, nisi quod scit se scire, ita Judex multò magis de omnibus circumstantiis certus esse debet, ut condemnare possit alium, qui optimus suorum verborum interpret est, in dubio enim verba merito valent pro proferente, cum animus obligandi non præsumatur, sed ita interpretatio fieri debeat, ut quis liberetur potius, non ut obligetur. *L. 47. ff. de obl. & act.* Aliud est dicere, aliud contrahere, ad hoc enim requiritur, ut certum quidve determinatum sit, daß es ein ausgemachtes / gebundener / geschlossener Contract sey. Tandem pacta, licet aliquando promittentem in conscientia stringant, ob deficientem tamen probationem consensus, Judex, qui non est cordium scrutator, hunc condemnare non potest, citius enim probatio deficit, quam jus, etsi promittens in tantum, quantum scit se promississe, de jure naturali teneatur.

*Interdum  
pactum in  
conscientia  
obligat, li-  
cet ex eo nõ  
competat  
actio.*

Quæ si æquo judicio, sine contradicendi studio legantur, absq; dubio si non in omnibus, tamen in fundamento approbationem invenient. Deo interim, fonti omnis justitiæ sit laus & gloria in omnia secula.











- Halle, Diss., 1636 A-7

ULB Halle 3  
005 303 397




TA-OL  
wolle nicht verknüpfte


V D 17











34

Pr. 12 n. 12<sup>a</sup> 634

1846 66

10

C. D.  
 STATIO JURIDICA INAUGURALIS  
 exhibens  
**NDICIAS PA-  
 RUM JURIS  
 ROMANI**

Ad demonstrandum  
**ODIE EX NUDO PACTO  
 TIONEM COMPETERE**

Quam  
**TORE MAGNIFICENTISSIMO  
 ERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
 IDERICO VVILHELMO,  
 RAT. BRANDENB. HEREDE &c. &c.  
 FORITATE ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICE  
 PRÆSIDE**

**HENRICO BODINO,  
 MI ELECTORIS BRANDENBURGICI  
 D ECCLESIASTICO IN DUCATU MAGDEBUR-  
 ISSIMO, PROFESSORE JURIS ORDINARIO CELEBER-  
 O ET FACULT. JURIDICÆ p. t. DECANO.  
 O ac PROMOTORE SUO ÆSTUMATISSIMO**

**PRO LICENTIA**  
 in Jure honores & Privilegia consequendi  
 Ad D. Julii Anno MDC. XCVI.  
 IN AUDITORIO MAJORI  
 Eruditorum censuræ submittit

**IIUS FRIDERICUS Wagell/  
 Eslinga Suevus.**

ISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI. Acad. Typogr.

